

xiv docet: «Deum habere magis in potestate sua voluntates hominum quam ipsi suas.» Et libro I contra duas epistolas Pelagianorum, c. xix: «Gratia trahit et operatur in cordibus hominum, non ut nolentes credant sed ut volentes ex nolentibus fiant.»

Totam ergo rationem libertatis nostræ ad potestatem et causalitatem Dei reducit, tum moralem dum dicit trahit, tum physicam dum dicit operatur. Unde dixit Sanctus Prosper sententia quinta in responsione ad capita Gallorum: «Gratia non abolet, sed adolet liberum arbitrium,» quod est esse causam, et radicem libertatis, quia nutrit, et adolescere eam facit. Et Anselmus libro de concordia, cap. 1: «Non debes, inquit, dicere, Deus præscit me peccaturum, vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccaturum sine necessitate, vel non peccaturum.» Et capite II dicit: «Eodem modo Deum prædestinare ea quæ futura sint per liberum arbitrium, sicut et præscire,» scilicet non tantum ut fiant, sed ut fiant sine coactione, et libere. Quod est plane assertum

totum Div. Thomæ. Et Bernardus tractatu de gratia et libero arbitrio: «Gratia non aufert, sed transfert voluntatem,» ideoque libertatem non tollit; quia in: «Aliam mutat.» Quare iste est modus communis apud patres concordandi libertatem nostram cum infallibilitate divini decreti, et præscientiæ, quia causatur a Deo nostra libertas, et ab eo perficitur, et adoletur, seu nutritur. Unde quia Deus infallibili modo ex parte sua, vult actus nostros esse liberos et contingentes, ex parte rei volitæ non destruit libertatem sed adstruit. Nec potest in doctrina sana ipsa ratio liberi, ut liberi subtrahi a causalitate, et providentia a divina, et ad solam causam proximam reduci. Quid ergo inconvenientiæ est, quod Deus causet, et sit primum principium libertatis nostræ, quod etiam in suo modo operandi sit immutabilis et infallibilis, quia universalissime operatur? Ecce intra Deum habes unde concordet ejus infallibilitatem cum nostra libertate fallibili. Quorsum ergo succurri debet a creato consensu præviso.

R. JOANNIS

# A SANCTO THOMA,

## ORDINIS PRÆDICATORUM

### TRACTATUS DE OPERE SEX DIERUM,

#### ORDO DICENDORUM.

I. Post considerationem creaturæ angelicæ, quæ est pure spiritualis, restat inquirere de alio genere creaturarum a Deo procedentium, quæ est pure corporalis, et constituit hanc machinam visibilem universi. Circa cujus creaturæ processionem distribuit D. Thomas ordinem suæ doctrinæ more theologico secundum quod per fidem, et revelationem Scripturæ nobis traditur hujus creaturæ productio.

II. Invenimus autem in Scriptura distingui quatuor genera operum divinorum, quibus totius mundi visibilis opificium perfectum fuit. Primum est opus creationis, ut cum dicitur: *In principio creavit Deus cælum et terram.* Secundum est opus distinctionis, ut cum dicitur: *Quod divisit lucem a tenebris, quod divisit aquas ab aquis, etc.* Tertium fuit opus ornatus, ut cum ornavit cælum luminaribus, aerem volatilibus, aquam piscibus, terram animalibus. Quartum fuit opus consummationis, et completionis (licet extra opera positiva numerari possit) ut quando: *Die septimo complet Deus opus suum, et requievit ab universo opere quod patrarat,* cessando a novis generibus rerum condendis, incipiendo vero generationem,

et multiplicationem individuorum in toto hoc universo usque ad finem mundi.

III. Cur vero distinxerit Deus ista quatuor opera, cum posset sola creatione producere omnes istas creationes cum omni sua perfectione, et ornatu, tam substantiali, quam accidentali, sicut fecit in Angelis creando illos in tota sua perfectione? Respondetur hujus rei duplicem causam esse, ut tradit D. Thomas in II, dist. XII, q. 1, art. II ad III et IV, alteram ex parte Dei, ut ostenderetur ejus sapientia in ordinandis, et proportionandis rebus ipsis, tollendo earum imperfectiorem, et confusionem; quod fieri non posset, nisi prius, sub quodam statu imperfecto, et confuso, et incomposito, producerentur. Altera causa est ex parte ipsius creaturæ, ut ostenderetur ejus imperfectio, et dependentia, ac limitatio, dum sic transiret de statu imperfecto ad perfectum. Quod non ita opus erat in Angelis, qui nobis sunt invisibiles; magis autem, id manifestabatur nobis in istis creaturis visibilibus, si ipsas videremus transire de imperfecto ad perfectum paulatim, et per diversas actiones. Licet autem illa prima productio in se non sit visa

ab hominibus sicut nec etiam Angelorum, tamen cum in suis similibus nunc videatur quod transit de imperfecto ad perfectum melius etiam cognoscitur ita fuisse in illis primis creaturis corporalibus; quod in Angelis respectu nostrum, seu ut manifestatur nobis, non currit. Itaque considerandum est duplex esse genus creaturæ: alterum extra omne tempus, et motum, sicut Angeli, et cælum empyreum, quod non movetur: alterum conjunctum, tempori, et motui, sive tempus ipsum efficiendo per suum motum sicut cælum, quod est primum alterans, sive sint res subjectæ tempori et motui, a quo alterantur, et corrumpuntur, sicut elementa, et mixta. Creaturæ primi generis postulant perfectionem suam habere sine motu, et ideo eodem instanti quo creantur, perficiuntur, et formantur a Deo. Et sic Angeli, et cælum empyreum creata sunt sine ulla informitate in tota perfectione naturali, quam postulant. Creaturæ autem secundi generis, licet creatæ sint ex nihilo, quantum ad prima corpora, quæ non sunt ex aliis, tamen earum perfectio, et ornatus modo successivo, et mutabili fieri debuit, quia earum natura tempori, et mutationi saltem accidentali alligata est.

IV. Hunc ergo ordinem doctrinæ secutus Div. Thomas primo agit in communi, et in generali de processu creaturæ corporalis a Deo, quantum ad causam, a qua procedit, quæstione LXV. Deinde, agit in particulari de istis quatuor operibus. Primo quidem de opere divisionis, et segregationis, quæstione LXVI. Tertio, agit de opere distinctionis eo modo, quo Scriptura illud manifestat. Nam ista distinctio incepta in corporibus superioribus, scilicet in cælo; cum prima die divisit Deus lucem a tenebris, et de hoc agit quæstione LXVII.

Deinde, facta est distinctio in aere, et in aquis separando aquas, quæ sunt sub firmamento, id est, aquas fluentes, ab aquis super firmamentum, id est, ab aquis vaporabilibus, seu nubibus, quæ firmantur, et detinentur in secunda aeris regione, quæ ob hoc firmamentum nominatur, quia firmat, et continet aquas vaporabiles coagulando eas in nubes. Nec enim hoc firmamentum est stellatum, quod est super omnes planetas, ut postea ostenditur, quia hoc firmamentum factum est per creationem prima die: neque potuerunt aquæ esse ita altæ super omnes cælos planetarum, ut per illud firmamentum stellarum dividi, et segregari debuissent, ut quæstione LXVIII dicitur. Denique, tertia die facta est divisio, et segregatio inter terram et aquas, apparente terra arida cum herba, et germine, et congregatis aquis in locum unum et de hoc opere agit D. Thomas quæstione LXIX.

V. Tandem circa opus ornatus procedit eodem ordine Divus Thomas, quia primo ornati sunt cæli luminaribus in quarta die, non quidem, quia tunc sint producta quoad substantiam, sed quantum ad aliquas virtutes, et diversos motus, atque aspectus, quibus causant varietatem temporum, sicut si componatur horologium in suis motibus ex rotis, et instrumentis antea factis. Et sic agit de illo ornatu et productione luminarium quæstione LXX. Ornatus autem aeris, et aquæ productus est quinta die per productionem volucrum in aere et piscium in aqua, et de hoc agit quæstione LXXI. Denique, ornatus terræ in animantibus, et reptilibus, et in homine tamquam eorum præside factus est sexta die, et de illo agit quæstione LXXII.

VI. Quartum opus, quod est consummationis, et requietionis perti-

net ad diem septimum, quem Deus sanctificavit, cessando ab omni opere, et de hoc agit quæstione LXXIII. Pro complemento autem, et perfectione doctrinæ agit D. Thomas de omnibus septem diebus simul, secundum quasdam peculiare conditiones quæstione LXIXV.

### QUÆSTIO LXV.

DE OPERE CREATIONIS CREATURÆ CORPORALIS.

#### TEXTUS.

*In principio creavit Deus cælum, et terram, Genesis I.*

NOTANDA CIRCA ISTAM QUÆSTIONEM.

I. Duo præcipua intendit D. Thomas circa istam quæstionem. Primum est, quod Deus sit causa efficiens, et finalis creaturæ corporalis. Secundum est, quod sit causa immediata creaturæ corporali, non autem mediantibus Angelis; ita quod nec ipsi produxerint materiam ex nihilo, neque formans substantiales ex materia.

II. Quantum ad primum, ostenditur creaturam corporalem esse a Deo generali ratione, quia creatura corporalis habet esse creatum, cum non sit ens a se alias esset Deus, et superior creatura spirituali, cum tamen creatura corporalis sit inferior spirituali, quia ab ea actuatur, regitur, et perficitur. Omne autem esse creatum est a Deo, qui est principium totius esse, si quidem est primum, et maximum ens; ergo illi correspondet pro effectu proprio id in quo omnes res conveniunt,

scilicet esse creatum, et participatum, sicut effectus proprius ignis est quidquid participat esse ignitum. Cum ergo creatura corporalis participet esse creatum, ut videmus, oportet quod procedat, et dependeat a primo et summo ente, quod est principium, et fons totius esse, qui est Deus. Et sic rejicitur error Manichæorum, qui negaverunt creaturam corporalem esse a Deo.

III. Ex hoc autem ulterius sequitur creaturam corporalem, ita esse a Deo ut a causa efficiente, quod etiam sit propter Deum, tamquam propter finem ultimum, et per se esse factam ex intentione Dei, non per accidens, et ex secundaria intentione sicut posuit Origenes dicens, quod creaturæ corporales sunt ex secundaria intentione propter peccata spiritualis creaturæ; nam etiam nullo existente peccato, ut in statu innocentie etiamsi durasset, creatura corporalis daretur, sicut homo et animalia, et cælum, et terra; eo quod creatura corporalis per se est pars universi, et pertinet ad integritatem illius, licet sit pars inferior; sicut pes in homine est pars inferior ad oculos, per se tamen pertinet ad integritatem hominis, quia illum componit, et perficit, et sine ipso corpus est mancum: ita creatura corporalis, licet inferior in hoc universo, per se tamen ordinatur ad integritatem totius universi, et ad ejus pulchritudinem, et compositionem, quia sine cælo, et terra, mancum esset hoc universum: ergo cum Deus sit finis totius universi, quia omnia propter semetipsum operatus est Dominus, restat ut etiam creatura corporalis sit propter bonitatem divinam tamquam propter finem, licet sit subjecta, et inferior, et subordinata creaturæ spirituali.

NON EST CREATURA CORPORALIS FACTA  
MEDIANTIBUS ANGELIS.

IV. Quantum ad secundum, quod tractat Div. Thomas in hac quæstione, nempe quod creatura corporalis non sit facta mediantibus Angelis, in duplici sensu probari potest. Primo, quod non sit facta ab Angelis quantum ad totum quod includit, etiam quantum ad materiam primam. Secundo, quod nec etiam sit facta ab Angelis quoad formas tantum, educendo illas immediate ex materia.

V. Et primum probatur, quia si Angeli producerent corpora etiam quantum ad materiam primam, non poterent illam producere ex alia materia, neque ex alio ente, quia ultra materiam primam non est alia materia ex qua possit aliquid fieri, alias illa materia non esset prima, ergo facerent illam ex nihilo, ergo crearent. At repugnat aliquam creaturam esse creatorem, et creare ex nihilo, sive tamquam causa principalis, sive instrumentalis, ut supra quæstione XLV ostensum est, ergo corporalis creatura non est facta ab Angelis quantum ad materiam primam.

VI. Quoad secundum probatur, quia formæ non sunt ab alio agente, quam ab eo a quo sit totum compositum, eo quod formæ non sunt res factæ tamquam quod, sed fiunt ut quo, et ideo a quo fit totum, ut quod fit forma, vel unitur ut quo, at vero compositum corporale non fit ab Angelo, sed ab alio agente corporali, vel univoco, vel æquivoco, sicut ignis generat ignem et planta plantam, vel cælum ut agens universale; ergo modo Angelus non efficit formas corporales, sicut nec ipsa composita, sed a propriis agentibus fiunt, licet possit movere, et appli-

care semina, seu virtutes corporales, ut fiant effectus juxta proportionem talium agentium. In principio autem mundi, corpora quæ fuerunt facta per creationem processerunt a Deo quantum ad ipsum totum compositum, sicut dicitur: *Quod creavit cælum, et terram*, quæ sunt quædam composita, ergo etiam processerunt ipsæ formæ talium compositorum. In aliis autem rebus quæ fuerunt factæ non per creationem, sed per educationem ex materia ut aves, pisces, animantia, non potuerunt Angeli producere earum formas, quia non potest id Angelus facere nisi applicando activa passivis, seu semina ipsa, et virtutes corporales. At in prima rerum formatione non erant ista semina, et virtutes, sed Deus illas indidit ipsis corporibus, ut cum dixit: *Germinet terra herbam virentem, et lignum, cujus semen sit in semetipso*. Ergo non potuerunt primæ formæ ab Angelis produci.

VII. Dices: Licet Angelus non habeat virtutem formalem, et ejusdem rationis cum agente corporali ad producendas formas corporum, tamen producere potest ipsum compositum, v.g. ignem, vel plantam eminentialiter, et superiori modo non sicut alterignis vel altera planta: sicut etiam cælum producit easdem formas et composita eminentiori modo, ut causa universalis, non obstante quod producantur univoce a suis particularibus agentibus. Et confirmatur, quia Angeli saltem possunt producere lucem, ut cum Angeli apparent in specie lucida, ergo pari ratione potuerunt alias formas saltem accidentales producere.

VIII. Respondetur non posse Angelum producere formas corporales etiam tamquam causa universalis, et eminens, sicut cælum, licet possit movere, et applicare cælum, vel etiam alia agentia inferiora ad

eliciendas tales formas. Ratio est quia formæ non possunt procedere ab aliquo agente, nisi vel operante per intellectum, et per ideam tamquam artifex, vel operante naturaliter, et sine artificio, sicut generatio fit ab animali, et ab aliis rebus modo naturali, non per ideam, sed per seminalem virtutem. Et primus modus operandi formas corporales non potest convenire Angelo, quia perfectissimus est, et excedit ejus facultatem: nec secundus, quia imperfectissimus est, et infra ejus sublimitatem. Constat hoc, quia formæ naturales non procedunt per ideam, et tamquam ab artifice nisi ab ipso conditore naturæ qui est Deus, qui solus comparatur ad naturam, sicut artifex ad arte factum. Et ideo intelligendo, et dicendo dicitur fecisse omnia: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*: et iterum: *Qui fecit celos in intellectu*: et: *Omnia in sapientia fecisti*. Facere ergo formas naturales per intellectum, per sapientiam, per ideam, et per artem solum pertinet ad Deum, qui est naturæ conditor, et plasmator. Similiter facere formas naturales modo naturali per seminales virtutes multum inferius est ad naturam spiritualem, quia hic modus operandi est communis rei animatæ et inanimatæ, viventi et non viventi sive sit cælum, sive alia inferiora, et in eo potius aguntur res naturales, et quasi modo brutali impelluntur, quam agant ex seipsis, et operentur. Quare hic modus operandi non convenit Angelis, sed medio modo se habent, ut scilicet per motum localem possint applicare activa passivis, vel etiam movere cælum et sic producere effectus naturales, vel artificiales.

IX. Ad confirmationem respondetur, quod si Angeli possunt producere lucem, non solum applicando activa passivis, aut solum virtute

supernaturali, sed etiam naturali virtute (de quo agimus prima secundæ tractando de dotibus corporis gloriosi dicendum est, specialem rationem esse de luce, quam de aliis formis, quia lux per se non ordinatur ad generationem, et corruptionem formarum, sed magis ad effectus intentionales, ut scilicet color visibilis reddatur, et species intentionales possit emittere; licet per accidens possit calorem, et alios effectus producere lux, in quantum procedit a sole, qui illos effectus eminenter continet. Unde non est inconveniens, quod lux visibilis sub præcisa ratione lucis possit procedere a luce spirituali, quando est perfecta, sicut in Angelis: sicut etiam sensus sunt quædam derivationes, seu participationes intellectus, et facultates ei naturaliter subordinatæ.

QUÆ CORPORA SINT IMMEDIATE CREATA  
A DEO.

X. Sed petes: Quænam corpora intelliguntur immediate creata a Deo, cum dicitur: *Quod creavit cælum et terram*? Respondetur nomine cæli intelligi omnia corpora superiora, quæ cœlestem substantiam participant ab orbe lunæ usque ad cælum empyreum, et sunt decem spheræ mobiles, et rotundæ, quia moventur circulariter, et cælum empyreum immobile, et quadratum, quia ut dicitur Apocalyps. XXI de loco gloriæ: *Civitas in quadro posita est*. Nomine autem terræ intelliguntur omnia corpora inferiora, quæ sunt elementa simplicia, scilicet terra, aqua, aer, et ignis. Corpora autem mixta non sunt creata ex nihilo, sed ex corporibus elementalibus a Deo formata sunt. Ita sumitur ex Div. Thoma infra quæst. LXVIII, art. I, ubi productionem elementorum,